



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Brevis Expositio Propositionum Damnatarum

Didacus <ab Aragonia>

Venetiis, 1728

Confessarius.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42653

tibus non ritè se præparantibus, tu abstineant aliquando, ad hoc ut reverentius accedant, deinde status Sacerdotalis de se fert majorem dispositionem ob elongationem à curis sæcularibus; tertio defectus dispositionis in his compensatur per obligationem, quam habent ex proprio munere offerendi sacrificium, cum sint nuncii, ac ministri publici ab Ecclesiæ deputati ad Deum placandum, unde Ecclesiæ puritas, cujus nomine accedunt, reddit, eos Deo magis acceptos; nisi, ut dictum est, inde votio sit formalis, aded ut ferat tanti Sacramenti contemptum, & irreverentiam, pertinentem ad mortale, vel circumstantibus scandalum præbeat, celebrando, ut passim fit, cum magna celeritate, & notabili dedecore tanti mysterii, vel cum notabili omissione verborum, aut confusione sacrorum Rituum; ex quo colligitur, quod innumerabiles Sacerdotes, qui Missam præcipitant, in infernum præcipitant, quia indigna tractatio hujus tremendi sacrificii nimis provocat Omnipotentis iram, præsertim quia qui indignè sumunt S. Eucharistiam judicium sibi manducant, & bibunt *ex Apost. ad Corinth. 11.*

CONFESSARIUS.

109. **Q**Uæritur? An qui beneficium Curatum habent, possint sibi eligere in Confessarium simplicem Sacerdotem ab Ordinario non approbatum?

Resp. Negativè, ut patet ex decreto *Alexandri VII. damnantis propositionem 16.* Ratio est, quia *Tridentin. sess. 23. cap. 15.* Decrevit, nullum etiam Regularem posse Confessiones sæcularium, etiam Sacerdotum

tum audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium, aut ab Episcopo idoneus iudicetur, & approbationem obtineat, non obstantibus privilegiis, aut consuetudine, etiam immemorabili; ergo esto Parochi olim, aut consuetudine, aut privilegio possent sibi in Confessarium eligere simplicem Sacerdotem, post Tridentinum tamen nullatenus possunt.

110. Quæritur. An Episcopi possint sibi in Confessarium eligere simplicem Sacerdotem non subditum extra propriam Diœcesim ab Ordinario non approbatum?

Resp. Non posse, quia cum ad dubium decidendum deputata fuerit Congregatio decem Cardinalium, quorum quinque in partem affirmativam inclinarunt, quinque verò in negativam, Greg. XIII. in ea sententiarum diversitate consultus respondit: in re dubia tutius est adhærere Concilii Tridentini decreto; quare solum possunt eligere simplicem Sacerdotem subditum extra Diœcesim, aut non subditum in propria Diœcesi, quia per hanc electionem illum approbant, quin possint non subditum extra Diœcesim approbare?

111. Quæritur. An Prælati Regulares possint sibi in Confessarium eligere simplicem Sacerdotem propriæ Religionis ab Ordinario non approbatum?

Resp. Posse, quia *Tridentinum loco citato* approbationem Episcopi in Confessario exigit solum relatè ad Confessiones sæcularium; quare cum possit Prælati Regularis suis subditis concedere facultatem, ut simplici Sacerdoti confiteantur, poterit pariter ipsi sibi simplicem Sacerdotem eligere in Confess-

cessarium, cum deterioris conditionis non sit.

112. Queritur. An Vicarii Capitulares, Abbates exempti, & alii hujusmodi possint sibi in Confessarium eligere Sacerdotem simplicem?

Resp. Posse eo modo, quo possunt Episcopi, quia revera habent jurisdictionem Episcopalem, neque obstat, quod Tridentinum exigit approbationem ab Episcopis, nam nomine Episcoporum veniunt ii, qui habent jurisdictionem Episcopalem, ut sunt Capitulum Sede vacante, Vicarius Episcopi, Archiepiscopus in Dioccesibus suffraganeorum tempore visitationis, Abbates, & nonnulli Prælati exempti.

113. Queritur. An Parochus possit jure suo delegare vices suas, & jurisdictionem in ordine ad audiendas Confessiones alteri Parocho, necnon Sacerdoti approbato ab alieno Episcopo?

Resp. Negative, ratio est, quia est necessaria approbatio Ordinarii loci, in quo Confessiones audiuntur, quod satis indicat textus Concilii, nullum Sacerdotem posse Confessiones audire, nisi ab Episcopis approbatio obtineatur, ubi plurali locutione significat ab Episcopis respectivè esse approbandum, sic ut non sufficiat in una approbationem obtinuisse, si in aliis Dioccesibus debeat Confessiones excipere, etiam personarum illius Diocesis, in qua quis prius approbatus fuit, ut expresse habetur in *Constit. Clementis X. qua incipit: Superna &c.*

114. Queritur. An etiam cum vigore Jubilæi, aut Bullæ Cruciatæ Confessarius eligitur, debeat esse approbatus ab Ordina-

io loci, in quo Confessio auditur, an verò sufficiat, quod fuerit ab aliquo Ordinario Mundi approbatus?

Resp. Esse necessariam approbationem Ordinarii loci, in quo auditur Confessio: de electo vigore Jubilæi patet ex declarationibus S. Congreg. Concilii, & ex clausula, quam litteris Jubilæi solent Pontifices adjicere; de electo in vim Bullæ Cruciatæ, approbationem quoque Ordinarii loci, ubi auditur Confessio, necessariam esse constat ex decreto Innoc. XII. quod incipit: *Cum sicut die 13 Aprilis 1700. edito.*

115. Quæritur. An approbatio pro Confessionibus virorum sufficiat Regularibus pro audiendis etiam fœminis?

Resp. Opinio fuit aliquorum, Regulares approbatos ab Ordinario loci ad audiendas Confessiones virorum, posse etiam audire Confessiones Mulierum de licentia suorum superiorum, sed talis opinio, quia est tenuis, seu dubiæ probabilitatis post *Constit. Clem. X. supracitatam*, meritò, ut damnata reiicitur; neque Ecclesia supplet jurisdictionem Confessarii, qui utitur opinione docente, approbatum ad Confessiones virorum dumtaxat posse eligi virtute Bullæ Cruciatæ ad Confessiones Mulierum, etiam Monialium.

116. Quæritur. An idem sit, Sacerdotem esse approbatum ad Confessiones audiendas, ac habere jurisdictionem in pœnitentes?

Resp. Negativè, nam diversa sunt approbatio, & jurisdictio, illa aliud non est, quàm testimonium, quo Sacerdos habilis, & idoneus judicatur ad excipiendas Confessiones; hæc verò est potestas ferendi senten-

ten-

tentiam in subditam, quam Sacerdos ex vi puræ approbationis non recipit.

117. Quæritur. An examen idoneitatis Regularium, non solum quoad scientiam, sed etiam quoad mores spectet ad Episcopum?

Resp. Spectare utique, nam ita constat *Ex Clementina citata, quæ incipit: Superna &c.* Videatur Bulla.

C O N F E S S I O.

118. **Q**uæritur. An qui facit Confessionem voluntariè nullam, satisfaciat præcepto Ecclesiæ annuæ Confessionis?

Resp. Extat propositio affirmativa 14. inter damnatas ab Alex. VII. & jure merito, quia, qui sic confitetur, non adimplet rem præceptam, etenim tam Christus, quam Ecclesia præcipiunt Confessionem veram cum necessario dolore, proposito, & absolutionis receptione, qui autem sua culpa invalidè confitetur, non verè confitetur, imò peccat peccato omissionis non adimplendo præceptum, & peccato commissionis sacrilegium committendo per Confessionem invalidam.

119. Quæritur. An satisfiat præcepto Ecclesiæ per Confessionem validam quidem, sed informem ex defectu doloris extensivi, ut contingit, quando quis habens duo peccata, puta furti, & homicidii, dolet attritione supernaturali de solo homicidio, & invincibiliter oblitus de furto, solum confitetur homicidium, & de eo absolutionem obtinet?

Resp. Affirmativè, ratio est, quia Ec-